

torum V. & N. T. nemo non videt ibi non procedere argumentum.

II. *A sacramentis V. T. ad Christum & alia quaedam, valet consequentia tanquam à typis ad res, typis illis adumbratas.* Nam testamenti veteris sacramenta non solum fuerunt sacramenta, sed etiam typi seu figuræ, non utique sacramentorum N. T. sed Christi, & aliarum rerum. e. g. agnus paschalis fuit: typus Christi, circumcisio externa fuit figura circumcisionis internæ seu spirituales quæ omnibus piis omni tempore est necessaria. Hinc apostolus 1. Cor. 5. pronunciat, nos quoque habere pascha in N. T. & Rom. 2. 29. commendat circumcisionem cordis, in spiritu.

III. *Posi à ecclesiâ visibili ponitur sacramentum.* Sic ecclesia ante lapsum habuit arborem vitæ: ecclesia ante circumcisionem habuit sua sacrificia Gen. 4.

IV. *A numero sacramentorum V. T. strictè sic dictorum ad numerum sacramentorum N. T. valet consequentia.* Nam circumcisio & pascha inter omnia sacramenta V. T. ita se habent, ut illis duobus solis stricta sacramentorum definitio competat. Deinde oportet duo esse sacramenta strictè dicta in fœdere gratiæ: unum initiationis, seu regenerationis, alterum nutritionis seu alimoniam spiritualis.

F 2

V. A cir-